



**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitate, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

XI. An, & quid dicendum sit in causis ciuilibus?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

spectetur, ad seruitium reuocari potest, vt *supr. sect. 13.* dicebamus, & habetur in *Can. 34. id. constitutum*, 17. 9. 4. & *can. prolium*, 20. 9. 3. & 1. 4. & 6. §. *sanè si serum*, *Cod. de his qui ad Eccles. confug.*

Atque ita in specie docent Silu. *verb. Immunitas* 3. §. 3. n. 2. *Fagundez de preceptis Eccles. precept. 2. lib. 4. c. 4. n. 52.* Cutell. *de immunit. Eccles. lib. 1. quest. 23. & 25.* Riccius *p. 3. decis. 172. n. 6.* (vbi sic in Curia Archiepiscopali Neapolitana decum fuisse testatur.) *Suar. lib. 3. c. 10. n. 6. Megal. in 3. p. lib. 4. c. 2. n. 6.* & *Peregrin. de immunit. c. 12. n. 3. dub. 3.* contra *Gambacurt. lib. 4. cap. 11. n. 10.* *Petr. Cened. quest. 42. & Dian. p. 1. tract. 1. resol. 25.* Quamvis hi duo Doctores fateantur, quod Religiosus immunitate Ecclesie non gaudeat in Ecclesia proprij Monasterij, vbi delinquit, etsi tamen id non concedat *Gambacurt.* nisi solum in casu, quo Superior procederet ad poenitentias salutare in iungendas in foro paterno, ne Religionis vniuersum statutum peruertatur, non item, si procederet ad in iungendas vltices poenas.

7 Canonum in foro iudiciali, adeo vt si hoc faciant Superiores, incurrant illi, inquit ipse, poenas, & censuras latas contra violantes immunitatem Ecclesiarum, & Religiosi extracti non teneantur ad interrogationes factas respondere.

8 At simpliciter dicendum est, quod Religiosus in ordine ad Prælaturam Religionis immunitate Ecclesie non gaudeat, non solum propter rationes supra adductas, quod scilicet Clerici non gaudent immunitate Ecclesie, sed etiam quia alioquin nunquam Religiosus aliquis puniri posset, & sic corrueret disciplina regularis: & præterea, quia sic habet quotidiana praxis, & consuetudo à Summis Pontificibus approbata, cum quotidie Summi Pontifices ex appellatione causarum ad Urbem videant Superiores Regularium contra illos processum formare, & sententiam ferre de delictis in Monasterium commissis, & tamen id non reprobent, sed potius approbent, & confirmant; propter quam rationem descendunt in nostram opinionem *Mar. Italia de immunit. lib. 1. cap. 3. §. 1. & lib. 5. §. 6. n. 119.* & *Diana cit. resol. 25.*

11 Hinc sequitur, quod si Religiosus apostasiam (idemque dico de omni alio delicto, etiam non excepto: nam de exceptis nulla est difficultas) committat, Ecclesie immunitate non gaudeat; ita vt à suo Superiore ab Ecclesia extrahi possit, vt puniatur in foro etiam iudiciali secundum rigorem Canonum. Atque ita in terminis docet præter alios *Lezana verb. Immunitas Eccles. n. 16.* *Peregrin. de immunit. c. 12. n. 16.* & *Cutellius de immunit. Eccles. lib. 1. quest. 23.* contra *Bobadillam in Polit. tom. 1. lib. 2. cap. 14. n. 57.* (qui citat *Rebuffum*, & *Decianum*), & contra *Mar. Italia de immunit. lib. 1. cap. 3. §. 1. n. 17.* & *c. 5. §. 6. n. 114.* qui testatur, apostatam quandam à Religione fuisse restitutum Ecclesie, à qua fuerat extractus, & contra *Farinac. in append. de immunit. c. 13. n. 169.* *Duardum in Bull. Canes. lib. 2. Can. 15. g. 16. n. 15.* *Barbof. de iure Eccles. lib. 1. cap. 3. n. 45.* *Trullench. in Decalog. tom. 1. lib. 1. cap. 11. dub. 2. n. 2. & 3.* & *Dian. part. 1. tract. 1. resol. 23.* qui sententiam negatiuam sequuntur, quamvis, illam limitando, fateantur, quod non gaudeant in Ecclesiis, & Monasteriis eiusdem Religionis, à qua apostatauit, & sic quod ex his locis extrahi quidem possit, etsi non ex aliis. Sed quod dixi absolute, scilicet quod in omnibus Ecclesiis, & Monasteriis non gaudeat, & sic quod absolute ex omnibus Ecclesiis, & Monasteriis extrahi possit, est probabilius, præsertim cum semper videatur esse eadem ratio.

DUBITATIO XI.

An, & quid dicendum sit in causis ciuilibus?

SECTIO I.

Dubitationis Resolutio.

SUMMARIUM.

- 1 Immunitas Ecclesie locum habet in causis ciuilibus, ita vt si debitor ad illam confugiat, gaudeat immunitate, nam concessa est de iure ciuili.
- 2 Debitor ob ciuilia debita ad Ecclesiam confugiens per se, vel per procuratorem in iudicio comparere potest.
- 3 Debitore recusante comparere in iudicio modo prædicto, potest Index post solennium edictorum citationem, apprehensis bonis ipsius, creditoribus satisfacere.
- 4 Ecclesia approbat leges ciuiles, quæ Ecclesiarum immunitati à se statuta non præiudicant.
- 5 Immunitas debitoribus concessa est non solum à iure ciuili, sed etiam à iure Canonico.
- 6 Debitor suspectus de fuga, & publicus tributorum exactor, obligatus ad publica rationcinia, gaudent immunitate.
- 7 Nemo ab Ecclesia extrahi potest, etiam si non sit reus, etiam si extrahatur ad duellandum, vel firmandam pacem, neque debet impediri exitus ab ipsa, positus custodibus ad euandanda scandala.
- 8 Violantes Ecclesie immunitatem de iure excommunicari debent.
- 9 Constitutio Gregoriana licet loquatur solum de exvhebentibus reus ibi (laicis reis) dispositio tamen poenalis extenditur ex identitate, & maiori ratione, quando alias sequeretur absurdum.
- 10 Quando duo casus aequiparantur in lege antiqua, lex noua loquens in vno locum habet in altero.
- 11 Constitutio poenalis quando continet fauorem Ecclesiarum, fit extensio ex identitate rationis.
- 12 In odiosis, & contra immunitatem Ecclesiasticam non est facienda extensio ex identitate, & maiori ratione, secus est in fauorabilibus.
- 13 Rei, qui non gaudent, c. m. in Bulla excipiuntur, exceptio non fit per particulam (tantum).
- 14 Reorum appellatione veniunt etiam debitores, vt potest rei debitorum.

Respondetur immunitatem Ecclesie locum habere in causis ciuilibus (ita vt si debitor ad illam confugiat, securus ibi exsistat) quia talis immunitas iure ciuili concessa est, ex l. *presenti*, *Cod. de his, qui ad Eccles. confug.* & ex l. *ult. eodem tit.* (vbi dicitur, quod debitor ob ciuilia debita ad Ecclesiam confugiens, per se, vel per procuratorem in iudicio comparere possit, quod si id facere recuset, vel differat, possit Iudex post solennium edictorum citationem bona debitoris apprehendere, & ex iis petitoribus ad modum debiti satisfacere,) sed Ecclesia approbat leges ciuiles, quæ Ecclesiarum immunitati à se statuta non præiudicant, cap. *inter alia*, cap. *id. constitutum*, cap. *si quis contumax*, cap. *si quis inuentus*, cap. *frater*, sess. 25. cap. 20. *Tridentini*, & Constitutione Gregorij XIV. Ergo non solum à iure ciuili, sed etiam à Canonico hæc immunitas debitoribus concessa est.

Atque ita contra *Iasonem in l. vinum*, ff. *si certum petatur*,

petatur, Cutellium de immuni. Eccles. lib. 1. q. 32. n. 26. & seqq. & contra alios, quos citat, & sequitur Ceuall. in tract. de cognit. per vian. & solent. part. 2. q. 5. num. 6. declarauit sacra Congregatio Episcop. in vna Cotronensi die 21. Iulij 1617. & in vna Beneuentana die 10. Maij 1619. & ex communi docent Abbas in cap. inter alia, de immuni. Eccles. num. 2. & seqq. Silu. verb. Immunitas 3. q. 3. diff. 6. Nauar. cap. 3. num. 5. Couar. cit. cap. 20. num. 14. Layman lib. 4. tract. 9. c. 3. n. 5. Azor 2. p. lib. 9. q. 9. Suarez lib. 3. c. 11. n. 3. Farinac. de carcerib. q. 28. num. 3. & in append. de immuni. cap. 4. num. 57. Guttier p. act. q. 9. ciuil. lib. 3. q. 1. Decian. tract. crimin. lib. 6. cap. 28. n. 14. Ambrosin. de immuni. Eccles. c. 1. 3. num. 1. Anastas. Germ. de fauoribus immuni. lib. 2. cap. 16. num. 8. & seqq. Megalini in 3. p. lib. 4. c. 2. q. 2. num. 33. Diana p. 1. tract. 1. re. 1. 32. (qui id verum esse dicit, etiam stante statuto, quod debitor possit carcerari, & in casu, quo sit suspectus de fuga, & debitor publicus, vt exactor tributorum, & debitor ex causa administracionis, & reddicionis rationum, & obligatus ad ratiocinia publica, & officialis debitor ex causa Syndicatus.) Item Grat. tom. 1. lib. 3. c. 1. de immuni. Eccles. Portel. verb. Eccles. immunitas, num. 14. Barbof. de iure Eccles. tom. 2. cap. 3. Tusch. tom. 3. lit. E. concl. 11. num. 3. Gambacurt. lib. 4. cap. 15. Peregrin. de immuni. cap. 12. n. 10. Bonac. disp. 3. q. 7. de immuni. §. 4. n. 4. Lezana verb. Immunitas 7. Eccles. num. 16. & Genuens. in prax. c. 22. num. 1. q. 9. qui & satis probabiliter subdit, quod dicta immunitas concessa sit aliis omnibus, itavt nemo (quamvis nullo modo sit reus) ex Ecclesia extrahi possit ob quemcunque finem, siue v. g. ad reum in illa receptum reuelandum, vbi nam is se absconderit, siue (cum ipse ad duellum aliquem prouocauerit, & in Ecclesiam se receperit, ne à curia seculari impediatur à duello prosequendo) ad pacem faciendam cum illo, quem ad duellum prouocauerat, & ad vitanda scandala, præsertim cum alio modo scandalis obuiari possit, apponendo scilicet custodes vel adeundum Episcopum, qui prouideret, & id. quæ probat ex eo, quia in Constitutione Gregorij XIV. ob extractionem pro quacunque causa, imponitur ipso facto pœna, quæ à iure sunt statuta contra violantes immunitatem, & libertatem Ecclesie, & de iure excommunicari debent violantes immunitatem, cap. miror, cap. si quis contumax, cap. quisquam 17. q. 4.

9 Et quamvis citata Constitutio Gregorij XIV. loquatur solum de extrahentibus reos ibi (laicis reis) dispositio tamen pœnalis (inquit, & recte, idem Genuensis) extenditur ex identitate, & maioritate rationis, quando si non fieret extensio, sequeretur absurdum, vt sequeretur in casu nostro, si scilicet non possent extrahi rei, & alij possent. Imol. in l. si verò, §. de viro, ff. soluto matrim. & Franc. in c. 1. de temporibus ordinari. in 6. tum quia, quando duo casus æquiparantur in lege antiqua, lex noua loquens in vno, locum habet in altero. Bartol. in l. quod verò ff. de legib. & Franc. & Imol. in l. si supra cit. tum quia in cap. definitum 17. q. 4. cauetur simpliciter, ne configentes, & commorantes in Ecclesia extrahi possint: tum denique, quia quando Constitutio pœnalis continet fauorem Ecclesiarum, fit extensio ex identitate rationis, vt ait Gloss. notabilis in cap. sciant, de elect. in 6. & Franc. in dist. c. 1.

Obiicies, cum in Bulla Gregorij XIV. excipiantur quidam & determinati casus, qui non gaudeant immunitate Ecclesie, non licet ex his ad alios, quod etiam non gaudeant, argui ex identitate, quia neque ex maiori ratione rationis, vt dicitur infra dub. 19. & 24. sect. 3. ergo sic & in casu nostro.

Respondetur: disparitas est, quia ibi sumus in odiosis, & contra immunitatem Ecclesiasticam, quæ, vt potè fauorabilis, debet potius ampliari, quàm restringi; & præterea casus, qui in Bulla excipiuntur, excipiuntur per particulam, tantum. At in casu nostro potius sumus in fauorabilibus, & pro immunitate Ecclesie: & præterea cum in Bulla excipiuntur rei, qui non gaudeant, non excipiuntur per particulam tantum. Vel dic cum Suar. lib. 1. tom. 1. tract. 2. de relig. q. 11. n. 3. & l'eregrin. de immuni. c. 12. vers. nec conuenit, appellatione reorum venite etiam debitores, vt potè reos debitorum.

SECTIO II.

An, & quid dicendum de debitore?

Difficultas prima, cuiusque solutio.

SVMMARIVM.

- 1 Ecclesia solum delinquentibus immunitatem concedit explicitè, implicitè autem eam concedit etiam debitoribus.
- 2 In lege, quamvis pœnali, fit extensio, si alioquin sequitur absurdum.
- 3 Appellatione reorum licet veniant delinquentes, veniunt etiam debitores.
- 4 Privilegium immunitatis cum sit pium, debet etiam ampliari ad debitores.

Obiicies primò ex Cutellio cit. q. 32. n. 22. & seqq. Ecclesia solum delinquentibus immunitatem concedit, non item debitoribus, vt videtur colligi ex cap. inter alia, ibi: Quacunque gratia malef. in peperit, ex cap. statumimus, ibi: Non liceat reos ab Ecclesia extr. here. (Rei enim propriè sunt delinquentes, non autem debitores,) ex cap. 1. quis contumax, cap. 1. quis inuentus, & cap. frater, in quibus iuribus omnibus mentio fit de delinquentibus, non autem de debitoribus; & ex Constitutione Gregorij XIV. ibi: Laicum delinquentem, & infra: Quodque delinquentes laici, &c. ergo debitoribus ex iure Ecclesiastico immunitas non debetur, sed ad summum ex iure ciuili, & sic vbi ius ciuile non obligat, non habebit effectum.

Respondetur distinguo antecedens: Ecclesia solum delinquentibus immunitatem concedit, explicitè, concedo, implicitè, nego; quia hoc ipso, quod concedit eam delinquentibus, intelligitur implicitè concedere etiam debitoribus, ex eo, quod absurdum esset fauere nocentibus, exclusis innocentibus. Quapropter in lege, quamvis pœnali, fit extensio ultra proprietatem verborum, quotiescumque alioquin, attentis verbis in propria significatione sequitur absurdum, Doctores, quos citat, & sequitur Genuens. in prax. c. 17. n. 2. Adde, quod licet appellatione reorum, quibus Ecclesia concedit immunitatem, propriè veniant delinquentes, veniunt tamen etiam debitores, vt potè rei debitorum, & rei in iudicio (vnde reus dicitur, quicumque in iudicium vocatur, siue ciuilitè, siue criminaliter, sicut rectè docent Couar. 2. var. ap. 20. n. 14. Suar. lib. 3. c. 11. n. 3. Azor 2. p. lib. 9. c. 9. Farin. de carcer. q. 28. n. 31. & in append. de immuni. c. 3. n. 51. Ambros. de immuni. c. 1. 3. n. 2. Anastas. Germ. de fauoribus immuni. lib. 3. cap. 16. n. 110. Genuens. in prax. c. 17. n. 2. & Bonac. disp. 3. q. 7. de immuni. §. 4. n. 2.) præsertim quia, cum hoc priuilegium sit pium, & fauorabile, debet ampliari, Doctores, quos citat, & sequitur Farin. in append. c. 2. n. 21. Ambros. c. 10. n. 7. & Mar. Italia lib. 1. c. 2. contra Decian. lib. 6. c. 2. n. 14. & quia Ecclesia approbat leges ciuiles, quæ sunt in fauorem immunitatis, vt supra dicebam sect. 1. n. 1. & seqq. & hæc tale priuilegium concedunt, etiam debitoribus, vt dicebam ibidem.

SECTIO III.

An dicendum, quod debitor debeat laborare,
vel seruienti creditori satisfacere?

Difficultas secunda, eiusque solutio.

SUMMARIUM.

- 1 Immunitas est non solum ut debitor penam corporalem non luat, sed etiam ut in Ecclesia existens non extrahatur, vinculis non alligetur, & alio modo vexetur.
- 2 Debitor licet ad Ecclesiam confugerit, potest citari, & si se non defendat, creditor obtinebit, non autem tradendus est in seruum creditori: secus dicendum de seruo fugitiuo.

Obiicies secundò ex eodem Cutellio *loc. sup. cit. num. 32. & seqq.* Immunitas solum est, ut debitor penam corporalem non luat, *cap. inter alia, de immunit. Eccles. cap. id. constitutus, & cap. definitur, 17. q. 4.* non autem ut non labore, vel creditori seruienti non satisfaciatur, alioquin irrationabilis esset, quia preiudicat iuri tertij, & fauet nocenti. Vnde seruus fugiens ad Ecclesiam ob seuitiam Domini, securitate accepta, Domino redditur, ne Dominus priuetur iure quæsito, quod habet, ut seruus ei laboret: ergo sic, &c.

- 1 Respondetur, nego priorem partem antecedentis, quia iuxta iura citata immunitas est non solum ut debitor penam corporalem non luat, sed etiam ut ibi existens non extrahatur, vinculis non alligetur, & alio modo non vexetur. Neque hinc absurda, quæ inferebantur, sequuntur; quia poterit debitor citari, & si se non defenderit, mittetur creditor in eius bonorum possessionem, quamvis nunquam tradendus sit in seruum creditori; quia hoc non debetur ei, nisi post sententiam, & in penam. Secus dicendum de seruo fugitiuo, cuius possessio, & dominium est apud dominum, et si contrarium etiam quoad hunc sentiant Abb. in *cap. inter alia, num. 22. Oldrad. conf. 54. Boetius decis. 2. c. 15. n. 7. & Alberic. 1. part. statutorum, q. 39. & in rubr. Cod. de his, qui ad Ecclesiam confugiunt.*

SECTIO IV.

An, & quid dicendum de debitore suspecto
de fuga?

Difficultas tertia, eiusque solutio.

SUMMARIUM.

- 1 Debitor suspectus de fuga, est suspectus de graui delicto.
- 2 Suspectus de fuga potest capi, & incarcerari, etiam à iudice incompetenti in die festo.
- 3 Priuilegium immunitatis non excludit suspectum de fuga, nec illud impediri potest delicto debitoris committendo.
- 4 Debitor existens in Ecclesia ne fugiat à iudice, custodia adhiberi potest, & non extrahi.
- 5 Reus carcerari potest in die festo, & puniri, non autem in loco sacro.
- 6 Quæ dicta sunt de debitore, dici etiam possunt de militibus qui pecunia accepta fugi.
- 7 Fugiens à militia non est reus criminis læsæ Maiestatis in personam, sed solum in statum.

Obiicies tertio, saltem immunitas non competet debitori suspecto de fuga, ita ut hic saltem ab Ecclesia extrahi possit, & tradendus sit iudici, ut securus reddatur creditor. Atque ita docent nonnulli apud Couar. 2. var. cap. 20. num. 14. & apud Anastasium Germ. de sac. immunit. lib. 3. cap. 16. n. 99. & seqq. ex eo, quod debitor suspectus de fuga est suspectus de graui delicto: ergo Ecclesia, cum possit, impedire illud debet, & sic iudici tradere debitorem, vel alia via de fuga istius securum reddere creditorem: tum ex eo, quod suspectus de fuga potest capi, & incarcerari (etiam ab incompetenti iudice) in die festo, ut rectè docet Couarru. 2. var. c. 20. n. 14. Ergo & poterit capi, & incarcerari in loco sacro, argumento sumpto de tempore ad locum, l. vinum, ff. si certum petatur, l. ratio, §. si per venditorem, ff. de action. empti.

Respondetur, nego antecedens, quia priuilegium immunitatis non excludit suspectum de fuga, nec illud impediri poterit delicto debitoris committendo: tum quia alia via (scilicet si à iudice custodia apponatur) fuga impediri potest, absque eo, quod ab Ecclesia debitor extrahatur. Neque argumentum de tempore ad locum est firmum, quandoquidem reus puniri potest in die festo, non autem in loco sacro. Vnde patet ad opposita responsio, atque ita ex communiori, ac probabiliori sententia Doctorum docent Couarru. & Anastas. Germ. in locis supra cit. Suar. c. 11. n. 3. Farinac. in append. de immunit. cap. 3. n. 60. Ambrosin. de imm. nit. Ecclesi. lib. 3. cap. 13. n. 3. Diana c. re. ol. 32. & Bonac. q. 7. de immunit. §. in princip. Idemque dicas de militibus, qui cum militia pecunia accepta fuerit adscriptus, inde fugam arripens, ad Ecclesiam se recepit; quia per talem militie adscriptionem non est propriè seruus Principis, sed debitor, & per fugam à militia non est reus criminis læsæ Maiestatis in personam, sed solum in statum Principis. Vide quæ dicuntur infra dub. 23. sect. 2. & seqq.

SECTIO V.

An, & quid dicendum de debitore
tributorum?

Difficultas quarta, eiusque solutio.

SUMMARIUM.

- 1 Immunitas quod non competet debitoribus tributorum qui ab Ecclesia extrahi possunt, si consuetudo non esset in contrarium, voluerunt nonnulli Doctores.
- 2 Immunitas in sententia doctorum Doctorum conceditur Ecclesie, quatenus approbat leges civiles immunitatem concedentes.
- 3 Leges civiles potius denegant, quam concedant immunitatem debitoribus tributorum.
- 4 Princeps non presumitur contra seipsum legem condere.
- 5 Immunitas non est solum ex eo, quod Ecclesia approbet leges civiles, sed etiam ex eo, quod omnibus delinquentibus, & reis immunitatem concedat, aliis quibus casibus exceptis.
- 6 In generali concessione immunitatis veniunt etiam debitores, quicumque sint, & qui rei in iudicio, & rei debitorum nominantur.
- 7 Authentica de mandatis Principum, cum iuri Canonico aduersetur, iam ab illo reuocata est.
- 8 Hoc ius immunitatis respectu debitorum, qui in fraudem creditorum rebus suis absconduciunt, ad Ecclesiam confugiunt, in aliquibus locis non seruatur.

9 Obligatus

9 Obligatus ad ratiocinia ex causa alicuius administrationis etiam gaudet immunitate.

10 In Can. vxor 17. q. 4. qui tenebatur ad ratiocinia, cum Pontifex praestito iuramento impunitatis extrahi mandat.

1 Obiicies quarto, saltem non competet debitori tributorum, ita ut hic saltem ab Ecclesia extrahi possit, si consuetudo non sit in oppositum, atque ita docent Ancharan. cap. mer alia. n. 6. & 7. Butrius n. 13. Oldrad. consil. 54. num. 2. Cutellius cit. g. 32. n. 42. & segg. Gambacurta lib. 5. c. 43. n. 2. & segg. & Petr. Greg. synag. iuris lib. 33. c. 22. n. 2. ex eo, quod sic statuitur in authent. de mandatis Princip. §. publicorum, iuncta Gloss. ibi: tum ex eo, quod immunitas debitori conceditur ab Ecclesia, quatenus approbat leges civiles immunitatem concedentes, quae debitori illam non concedunt, sed potius denegant, cit. authent. de mandatis Principum: tum denique ex eo, quod Princeps non praesumitur contra seipsum legem condere.

2 Respondetur, nego antecedens; quia immunitas non est solum ex eo, quod Ecclesia approbet leges civiles, sed etiam ex eo, quod omnibus delinquentibus, & reis immunitatem concedit, aliquibus casibus exceptis, & exceptis per particulam, tantum, qua generali concessione veniunt debitores, quicumque sint, & qui rei in iudicio, & rei debitorum nominantur, maxime quia privilegium pium, & favorabile late interpretandum est, ut supra dicebamus: & casus, qui excipiuntur, excipiuntur per particulam, tantum.

3 Hinc patet ad opposita, & ad illud de authent. de mandatis Principum, quod scilicet, cum cit. authent. de mandatis Principum, iuri Canonico aduersetur, iam ab illo reuocata sit. Atque ita ex communiore, & probabiliori etiam sententia Doctorum docent Couar. 2. var. cap. 20. n. 14. (vbi tamen ait, quod hoc ius immunitatis respectu debitorum ex causis civilibus in quibusdam Regnis non usque adeo observetur, praesertim si per fraudem bonis absconditis, vel secum delatis in Ecclesiam confugiant, ut Guttier. lib. 1. pract. q. 1. n. 13. notavit: qua de re tamen nos dicemus infra.) Suar. lib. 3. c. 11. n. 3. Azor 2. p. lib. 9. c. 9. versum dubie. Anast. Germ. de sacr. immunit. lib. 3. c. 16. n. 10. Ambrosin. de immunit. Eccles. c. 13. n. 2. Layman lib. 4. tract. 9. c. 3. n. 5. Farinac. de car. erib. 28. n. 31. & in append. de immunit. cap. 3. n. 31. Bonac. disp. 3. q. 7. de immunit. §. 4. n. 2. & Dian. cit. resol. 32.

4 Hinc sequitur a fortiori, quod immunitate etiam gaudeat obligatus ad ratiocinia ex causa alicuius administrationis, sicut recte docent Nauar. c. 25. n. 16. in fin. Farinac. in append. num. 63. & Decian. lib. 6. cap. 28. n. 26. quidquid in contrarium dicat Cutel. n. 26. & 41.

5 Neque obstat, quod in cap. vxor 17. q. 4. quidam seruus obligatus ad ratiocinia confugit ad Ecclesiam, & Pontifex mandat, ut praestito iuramento immunitatis, inde extrahatur. Nam ibi (ut recte aduertunt Farinacius, & Decian. in locis supra cit.) sermo est non de homine libero, sed de seruo, quem domino restituendum esse, praestito iuramento impunitatis, supra dicebam. Vide etiam quae dicuntur infra dub. 24. sect. 19.

2 Decoetus fraudulenter est publicus latro, & propter ea plebuntur pena capitis.

3 Pius V. in sua constitutione equiparat decoetum fraudulenter publico latroni.

4 Decoetus fraudulenter, nec ratione debiti, nec ratione delicti priuatur Ecclesia immunitate.

5 Decoetus fraudulenter reuera non est publicus latro, sed solum per quandam equiparantiam.

6 In penis non est facienda extensio ad delicta similia.

7 Decoetus fraudulenter gaudet immunitate procul dubio si ad Ecclesiam secum non asportet bona, ut illa absconderet, sed tantum confugit, ut saluet personam.

8 Constitutio Gregoriana renocat omnia privilegia, & indulta data principibus extrahendi delinquentes ab Ecclesia, & nominatim fraudulenter decoetos.

9 Raro in fraudulenter decoeto possunt contingere quae necessaria sunt in publico latrone, praesertim actum frequentia.

10 Clemens VII. in quibusdam literis directis Archiepiscopo Bononiensi, & Nuncio Neapolitano, mandat superioribus Regularium ne fallitos, banitos, fures, &c. in suis Conuentibus receperint.

11 Huiusmodi litterae non derogant Constitutioni Gregoriana, quia non sunt datae, & publicatae in forma legis.

12 Huiusmodi litterae non statunt tradi reos iudicibus secularibus, sed tantum expelli a Conuentibus.

13 Huiusmodi litterae non obligant, nisi Bononia, & Neapoli, non autem in aliis locis, & prouinciis, licet essent publicatae.

14 Lex, & praecipuum non potest ultra intentionem legislaoris, vel praecipientis obligare.

15 Regularium superiores, qui in eorum Conuentibus dictas personas receperint, & diu detinent, non possunt puniri, nisi Bononia, & Neapoli.

16 Debitor fraudulentus ad Ecclesiam cum bonis confugiens, non debet ibi multo tempore tolerari, sed debet statim expelli.

17 Decoetus non debet res, & bona in praedictum creditorem ad Ecclesiam transferre, sed debet illa iudici seculari consignare, ut adiudicet cui de iure competunt.

18 Decoetorum bona possunt etiam auferri a iudice seculari, de licentia tamen iudicis Ecclesiastici.

19 Si posita sint in loco immuni in praedictum creditorem, debent poni in loco non immuni, & consignari iudici competenti, ex Sacra Congregatione.

Obiicies quinto, saltem non competet decoeto fraudulenter. Atque ita docent Boerius decis. 115. n. 7. & alij complures Doctores, apud Couarru. quos ipse sequitur 2. var. c. 20. n. 14. Farinac. de carcerib. q. 28. n. 33. Guttier. pract. q. 9. c. 1. lib. 3. q. 1. n. 4. & 15. Decian. tract. crim. lib. 6. cap. 28. num. 34. Gambacurt. lib. 4. cap. 15. Rodriguez in summ. t. m. 7. c. 154. n. 1. Fagundes de praecipis Eccles. pract. 2. lib. 4. cap. 4. num. 5. Ioan. de la Cruz p. 1. pract. 8. q. 3. art. 1. dub. 1. concl. 1. Bobadilla tom. 1. lib. 2. cap. 14. num. 67. & 71. Villadieg. in Poli. cap. 3. num. 216. Azuevedus tom. 3. lib. 5. tit. 20. leg. 6. num. 2. Sarpus de iure asylorum, cap. 5. fol. 50. Anast. Germ. de sacrorum immunit. lib. 3. cap. 16. n. 113. Rebuff. 2. tom. ad reg. Constit. Gallie, & de mercatoribus, art. ult. gloss. ult. num. 7. & 8. Tannerus in 2. 2. S. Thom. disp. 9. q. 8. dub. 1. num. 17. Peregrin. de immunit. cap. 12. num. 4. Suarez de Paz in pract. tom. 1. part. 5. cap. 3. q. 3. num. 156. Cutellius de immunit. Eccl. lib. 1. p. 32. n. 1. & Pereira de man. Reg. p. 2. c. 50. n. 16. ex eo, quod talis sit publicus latro (qua propter poena capitis

SECTIO VI.

An, & quid dicendum de decoeto fraudulenter?

Difficultas quinta, eiusque solutio.

S V M M A R I V M.

- 1 Decoetus fraudulenter in sententia plurimorum Doctorum non gaudet immunitate.
- Thom. Delbene, de Immunit. Eccl. Pars I I.

- capitis plectitur) tum ex eo, quod sic statuerint multi Catholicici Reges (vt testatur Couarru. loco *supra cit.*) & Pius V. expresse in sua Constitutione eum equiparet publico latroni.
- 4 Respondetur, nego antecedens, quia nec ratione debiti, nec ratione delicti ab immunitate excluditur: non ratione debiti, alioquin omnes debitores excludi deberent: nec ratione delicti, quia non est publicus latro reuera, sed solum per quandam equiparantiam, in poenis autem non est facienda extensio ad delicta similia. Quapropter licet à Pio V. expresse in sua Constitutione equiparetur publico latroni, non tamen hinc sequitur, quod etiam equiparatus veniat quoad priuationem immunitatis, cum poenae non sint extendendae ad similia (praesertim si extensio sit in prauiudicium Ecclesiarum, & oppositum reperiatur expressum in iure, sicuti est in casu nostro, vt mox infra dicitur.) Atque ita in specie de hac Constitutione loquens docet Farinac. *om. 1. conf. 76. n. 13.* Ambrosin. *de immunit. c. 1. n. 14.* Locatellus *de tortura, inspecl. 5. n. 158.* & Chartarius *decis. crimin. 46. n. 172.*
- 7 Et quidem quod dixi, est certum in casu, quo non fugeret ad Ecclesiam cum bonis, vel illa absconderet, sed solum fugeret ad Ecclesiam, vt personam saluaret (quod fatentur etiam ipsi aduersarij, saltem quamplurimi.) & multo magis est certum, stante Constitutione Gregorij XIV. cum in illa reuocentur omnes consuetudines, ac omnia priuilegia, & indulta data Principibus extrahendi delinquentes ab Ecclesia, & nominatim fraudulentos decoctos: & cum ibidem in narratiua fiat mentio de huiusmodi decoctis, de quibus postea, quando Pontifex disponit, nullum verbum facit; inde manifestè apparer, quod voluerit Pontifex huiusmodi fraudulenter decoctos immunitate Ecclesiae gaudere: & manifestè etiam apparer responsio ad argumenta aduersariorum.
- 8 Atque ita ex communiore, & probabiliori, & post Gregorij XIV. Constitutionem, ex certa sententia Doctorum docent Nauar. *cap. 25. num. 19. in fin.* Suarez *lib. 3. cap. 11. num. 3.* Farinac. *in append. de immunit. cap. 3. num. 64.* retractans oppositam opinionem, quam docuerat in *cit. quæst. 18. de carcerib.* Ambrosin. *de immunit. Eccles. cap. 13. in fin. num. 4.* Duardus in *Bull. Cane. lib. 2. can. 5. q. 16. n. 16.* Fernandez *part. 4. cap. 10. §. 1. n. 10.* Gratian. *in discept. forens. tom. 2. cap. 380. num. 29.* Anton. Nouarius in *Summ. Bullar. tit. de immunit. Eccles. n. 28.* Diana *part. 1. tract. 1. resol. 32.* referens, sic esse decusum Romae in S. Cardinalium Congregatione: item Girona *tract. de priuilegiis, cap. 23. num. 1035.* Flauius Cherubinus in *Compend. Bull. tom. 2. Constit. 117. Pij V. schol. 2.* Correa in *relect. ad cap. inter alia, de immunit. Eccles. part. 3. quæst. 12. n. 12.* Sanch. in *opuscul. tom. 2. lib. 6. cap. 1. dub. 8. num. 24.* Dominicus Tassonus in *pragmat. de antefato, vers. 13. obseru. 3. num. 33.* Lezana *verb. Immunitas Eccles. num. 16.* Bonacina *disp. 3. q. 7. de immunit. §. 4. in prin. ip. & Mar. Ital. de immunit. Eccles. lib. 1. c. 5.* Adde, quod dato, quod vera sit aduersariorum sententia, raro in praxi illa locum habere posset, vt notauit etiam ex aduersariis Peregrin. loco *supra cit.* quia raro in fraudulenter decocto ea, quae ad publicum latronem constituendum necessaria sunt, possunt contingere, praecipue actuum frequentia.
- 10 Neque obstat, quod Mar. Ital. loco *cit.* §. 8. num. 1. & seqq. referat quasdam literas scriptas Archiepiscopo Bononiensi, & Nuncio Neapolitano de mandato Clementis VIII. in quibus mandatur Superioribus Regularium, ne condemnatos, fillitos, bannitos, fures, decoctores, debitores, aliosque similes in suis Conuentibus receptarent, iniuncta receptantibus poena.
- 11 Respondetur enim, non derogari per hoc (vt ipse Mar. Italia loco *supra cit.* minus rectè opinatur) Con-

stitutioni Gregorij XIV. quia tales literae non sunt datae, & publicatae in forma legis: tum quia in illis solum cauetur, ne tales condemnati, falliti, banniti, fures, &c. in illis conuentibus receptentur, sed expellantur, non tamen quod Iudicibus saecularibus designentur, vt bene aduertit praeter alios Farinac. in *append. de immunit. c. 3. n. 64.* Peregrin. *c. 1. n. 14.* & Diana *part. 3. tract. 1. resol. 40.* cum Clemens VIII. in dictis literis non excipiat alios casus ultra exceptos in Constitutione Gregorij XIV.

Adde contra Cutellium *de immunit. Eccles. lib. 1. quæst. 17. num. 7. & 8.* quod cum dictae literae missae fuerint solum ad Archiepiscopum Bononiae, & Nuncium Neapolis, consequens est, quod etiam si in aliis locis, & prouinciis illae publicatae sint, solum Bononiae, & Neapoli, non autem in aliis locis, & prouinciis obligent; quia lex, vel praecceptum non potest ultra intentionem legislatoris, vel praecipientis obligare: si enim Pontifex intendisset vbique per illas obligare, vbique, vel saltem Romae easdem curasset promulgari, quod vtique non curauit. Quapropter Regularium Superiores, qui data opera in suis Conuentibus numeratas in dictis literis facinorosas personas recipiunt, & detinent diu, puniri poterunt Bononiae, & Neapolis; non item in aliis locis, vel prouinciis. Vide Peregrinum loco *cit. num. 12. & 20.* & Dian. *cit. resol. 40. & part. 6. tract. 1. resol. 17.* vbi refert, quod sacra Episcoporum Congregatio in vna Barenfi decreuerit die 12. Martij 1660. quod debitor fraudulentus ad Ecclesiam cum bonis fugiens non debeat ibi multo tempore tolerari, sed debeat tandem ab Ecclesia expelli. Item, quod eadem Sacra Congregatio determinauerit die 1. Decembris 1617. quod decoctus non debeat res, & bona in prauiudicium creditorum ad Ecclesiam transferre, sed debeat tandem ab Ecclesia expelli, vt adiudicet cui de iure competunt. Vide tandem Barbosa *de vniu. iure Eccles. cap. 3. num. 47.* vbi tenet, quod possint etiam auferri à Iudice saeculari, de licentia tamen Iudicis Ecclesiastici: qua de re dicam *dub. 24. sect. 8. & dub. 30.*

Interim tamen video, S. Congreg. Episcop. & Regular. 14. Nouembr. 1636. praecipisse, bona posita in loco immuni in prauiudicium creditorum, deponi debere in loco non immuni, & 9. Martij 1635. praecipisse Vicario Generali Mediolanensi, ne talia bona tenerentur in loco immuni, in prauiudicium creditorum, & 12. Decembris 1642. praecipisse, vt ex quodam Ecclesia extraherentur bona eò transportata in fraudem creditorum, consignanda tamen iudici competenti.

DVBITATIO XII.

An, & quid dicendum sit in causis criminalibus?

SVMMARIVM.

- 1 Afferuntur nonnulli canones in causis criminalibus quantumcumque grauibz immunitatem Ecclesiae ad eas confugientibus concedentes praeter casus exceptos.
- 2 Bulla Gregorij XIV. in delictis exceptis in medium affertur, iuxta qualibet delictorum nomina.

Respondetur, immunitatem Ecclesiae etiam locum habere in causis criminalibus, quantumcumque grauibz, exceptis casibus à iure expressis, atque ita dicitur in *cap. inter alia, de immunit. Eccles.* ibi: *Quantumcumque grauius maleficia perpetraverit, non est violenter*